



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Disputatæ Dicuntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

26 Vtrum conscientia errare possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

minæ, uel æqualiter tot mares quot femina: sed si supponitur quod non in equali numero mares saluentur & femina, potest dici quod cum dicitur, hi qui nunc per redemptionem saluandi sunt &c. pronomen, non, facit personalem demonstrationem, sed simplicem, sicut cum dicitur, Hæc herba crescit in hortu meo, ut intelligatur nihil aliud significari, quam quod soli saluandi ab eo nascerentur, quia nullus nascendo ab eo traheret damnationis causam. Non autem potest dici, quod idem homines numero nascerentur, qui nunc nascuntur. Manifestum est enim quod non potest esse idem homo numero, si ab alio patre, uel alia matre nascatur. Cum autem multi sint, ex pluribus uxoribus filios suscipiunt qui saluantur, si in statu innocentie pluralitas uxorū non fuisset, in possibile esset quod iidem homines numero tunc nascerentur, qui nunc saluantur.

QVÆSTIO XII.

DEINDE quæsitum est de actibus communibus omnibus hominibus.

¶ Et primo, De conscientia.

¶ Secundo, De poenitentia.

¶ Circa primum quæsitum sunt duo.

¶ Primo, Vtrum conscientia possit errare.

¶ Secundo, Vtrum conscientia erronea liget.

ARTICVLVS XXVI.

Vtrum conscientia errare possit.

22. q. 19. ar. 5.
& 2. di. 2. q.
2. 2. 4. c.

ADPRIMUM sic proceditur. Videtur, quod conscientia errare non possit, quia ad Ro. 2. dicitur, quod conscientia est lex intellectus nostri, quæ est lex naturæ: sed lex naturalis errare non potest, ergo nec conscientia.

¶ Præterea, Basilidius dicit, quod conscientia est naturale iudicium: sed naturale iudicium non potest errare, ut patet in primis principiis indemonstrabilibus, de quibus homo naturaliter iudicat, ergo conscientia non potest errare.

SED CONTRA est, quod Dominus dicit Ioan. 16. discipulis loquens. Venit hora, ut omnis qui interfecerit uos, arbitretur se obsequium præstare Deo: sed hoc non est nisi conscientia errante, ergo conscientia potest errare.

2. p. q. 99. ar.
13. & uer. q.
97. ar. 1. 0.

RESPON. Dicendum, quod conscientia (sicut ipsum nomen sonat) importat applicationem scientiæ, uel notitiæ humanæ ad aliquem proprium actum. Omnis autem notitia quam homo habet, potest ad suum actum applicare siue memoriam, prout homo dicitur habere conscientiam rectificatam quod fecerit aliquid, uel non fecerit: siue etiã scientiam uniuersalem, uel particularem, per quam homo potest cognoscere, utrum aliquid sit faciendum, uel non faciendum, & secundum hoc conscientia dicitur urgere, uel impedire. Manifestum est autem, quod si accipiamus diuersas hominis cognitiones, in aliqua potest esse error, & in aliqua non. In primis enim principiis naturaliter cognitis, siue sint speculatiua, siue sint operatiua, nullus potest errare, sicut in hoc. Omne totum est maius sua parte: uel, Nulli iniuriam esse faciendam. In aliis autem humanis cognitionibus magis particularibus siue pertineant ad partem sensitiuam: siue ad rationem inferiorem, quæ considerat humana: siue ad rationem superiorem, quæ considerat diuina, potest multipliciter error accidere.

Manifestum est autem, quod in applicatione multarum cognitionum ad actum prouenit error, quicumque cognitio fuerit erronea: sicut patet ex fallitas accidit in conclusionem quæcumque præmissarum fuerit falsa. Sic ergo licet in cognitione primorum principiorum iuris naturalis non sit error, tamen quia in aliis principiis iuris humani, uel diuini potest error accidere, id conscientia hominis errare potest, sicut patet, quod hereticus qui habet conscientiam nunquam iurandi, habet conscientiam erroneam propter hoc, quod credit omnino in ramentum esse contra præceptum Dei, licet in hoc non erret, quod æstimat nihil esse faciendum contra præceptum diuinum.

ADPRIMUM ergo dicendum, quod principia particularia habent virtutem concludendi ex primis principiis uniuersalibus: unde conclusio attribuitur principaliter primis principiis, sicut effectus causæ primæ: & eadem ratione, quia iustus conscientia principaliter dependet ex principiis iuris naturalis, sicut ex primis & per se notis, principaliter conscientia dicitur lex naturalis: uel etiam naturale iudicium. Unde patet, solutio ad secundum.

ARTICVLVS XXVII.

Vtrum conscientia erronea liget ad peccatum.

CIRCA secundum sic proceditur. Vt patet in articulo 22. contra Faustum. Omne peccatum est contra legem æternam, quæ est lex Dei: sed quandoque conscientia errans prohibet id quod non est contra legem Dei, sicut patet in hereticis, qui conscientia erronea prohibente, nolunt iurare, nec comedere carnes, aut bibere uinum, non ergo est eis peccatum, si contra conscientiam hoc faciant, & ita conscientia erronea non obligat ad peccatum.

¶ Præterea, Conscientia erronea quandoque dicit homini quod faciat id quod est contra legem Dei, sicut hæretico sua conscientia erronea dicit, quod peccet contra fidem catholicam: sed faciendum contra legem Dei peccat mortaliter. Si ergo est faciendum contra conscientiam erroneam peccat mortaliter, sequeret quod utrobique esset peccatum siue prædicaret contra legem Dei, siue non, & ita esset perplexus, quod esse inconueniens, quia sequeretur quod non pareret ei in uia salutis, cum tamen omnibus pateat per penitentiam in hac uita, non ergo conscientia erronea ligat.

SED CONTRA est, quod ad Roma. 14. super illud, Omne quod non est ex fide, peccatum est, dicitur, quod qui facit contra conscientiam, ædificat ad gehennam.

RESPON. Dicendum quod cum actus recipiat speciem ab obiecto, non recipit speciem ab eo secundum materiam obiecti, sed secundum rationem obiecti, sicut uisio lapidis non recipit speciem a lapide, sed a colorato quod est per se obiectum uisus. Omnis autem actus humanus habet rationem obiectum autem uoluntatis secundum propriam rationem est bonum apprehensum, & ideo actus humanus iudicatur uirtuosus, uel uitiosus secundum bonum apprehensum, in quod per se uoluntas fert, & non secundum materiale obiectum actus: sicut si aliquis credens occidere patrem, occidat seruum, incurrit parricidii peccatum. & e contrario, si quis uenator putans occidere ceruam, immunda diligentia adhibita, occidat casualiter patrem, immunda est a parricidii crimine. Si ergo aliquid per secundum